



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficult. 3. Fundamentain Oppositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Deum esse Trinum est verum: objectum formale conclusionis, quæ est assensus fidei, est veritas DEI, quam Major proponit ut materiale objectum; & revelatio quam proponit Minor, est itidem ut materiale objectum, & hoc quod est materiale respectu Majoris & Minoris, est formale respectu Conclusionis: Objectum autem formale Majoris, esse poterit Deitas cognita à posteriori per effectus, ex qua inferitur veritas; Minor verò potest respicere testimonium humanum, quod non potest refundere certitudinem in conclusionem. Ex quo ulterius inferitur. Cum Conclusio supernaturalis elicitur, etiamsi antecederet ad ipsam, ex vi præmissarum, certum non sit revelationem existere, sit revelationis existentia omnino certa, ex vi conclusionis, essentialiter per se ipsam connexæ, cum existentia revelationis, quæ est illius Formale objectum. *Ponit* denique certitudinem actus fidei, etsi hic sit conclusio ex præmissis probabilibus, longè esse maiorem, certitudine cuiusvis Demonstrationis: quia Conclusio ex natura sua, non exigit existentiam physicam formalem objecti, sed si per impossibile illud deficeret, eadem conclusio invariata posset subsistere; exigit autem assensus fidei existentiam sui formalis. Habentur hæc *Controv. 2. p. 7.* Ubi tandem n. 110. revelationem ut dixi, dicit credi actu fidei. *Hæc doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia de hoc ipso quæritur, quare prædicta regula non teneat in fide, cum non tantum in Conclusionibus quæ talibus, sed in omnibus causis formalibus teneat illud principium. Propter unumquodque tale &c. Tum quia: Concedimus quidem, quòd quando est verè actus fidei Theologicæ, sit certus & infallibilis, si ad illum concurrat habitus infusus, vel ejus locum supplens auxilium. Sed quærere restat, quomodo sit certus & infallibilis: quomodo concurrant ad illum principia dicta? si ipsi existentia revelationis, non præbetur infallibilis assensus. Tum quia: Concedimus quidem objectum formale fidei non esse propositionem revelationis, quæ sit in præmissis, tamen ipsa revelatio includitur etiam in præmissis; cui si infallibilis non præstatur assensus, quomodo præstabitur infallibilis objecto? Et sicut si albedini non compereret esse disgregativam visus, nec compereret parieti: quia ratio disgregandi visus, est albedo; ita si non est assensus infallibilis revelationi, qui erit assensus infallibilis objecto propter revelationem, tantum rationem formalem. Tum quia etiam concessio, quòd aliud sit objectum præmissarum, aliud formale conclusionis fidei, illi ipsi conclusioni, quæ est. *Quod verum, sit illud quod dicit Deus;* quærere restat, quòd infallibiliter assentiamur, si ipsi, *quod dixerit,* non infallibiliter assentimur? Tum quia, Totum in quo se

fundat discursus Oviedo hoc solum habet, quòd rei non revelata, fides assentiri non possit. Sed inde nihil deducitur ad hoc intertum, quòd possit esse assensus Conclusioni seu assensus propter revelationem, quantumvis ipsi revelationi certò non assentiamur. Tum quia Syllogismus fidelis aliter formari debet, quam formet Oviedo. Ita ut veritas prima dicens ponatur pro formali in præmissis. Quanquam etiamsi pro materiali ponatur, non est in habere rationem formalem, respectu Conclusionis, quia assumitur pro ratione assentiendi Conclusioni, quod ipsum spectat ad formale. Tum quia: Concedo quòd exigit actus fidei Theologicæ, existentiam sui formalem, sed quærere restat, quomodo actus caræ, qui exigit existentiam sui formalis, possit esse infallibilis, si ipsa existentia revelationis, propter quam alia creduntur, non habeat assensum infallibilem.

Noro Tertiò. Concedi quidem posse, quòd antecedens fidem assensus, quòd scilicet Deus sit verax, possit aliunde haberi, idque etiam à motivis naturalibus, & stare ipse assensus in ordine naturali: quia nulla est necessitas illum supernaturalis; nec est ratio, cur habitus Metaphysicæ seu Theologicæ naturalis, deservire ad hoc non possit. Et si per multos judicium prudentiale de motivis credibilitatis & eorum evidentia, potest stare intra ordinem naturæ; cur non poterit stare & assensus prædictus? Ceterum non est necesse, ut semper antecedat iste assensus, assensum fidei, licet antecedat ordinariè: antecedit inquam ordinariè, quia rarum est, miraculosè aliquem vocari ad assensum, quòd DEUS sit, sed ex Creaturis & Visibilibus, paramus nobis notitiam invisibilium; absolute tamen non est necesse, sicut dixi, ut iste assensus naturalis, præcedat re, assensum fidei: quia non implicat, ut primus actus creaturæ rationalis, sit, quo credat, DEUM esse, propter DEI testimonium. Nihilominus posito, quòd præcesserit assensus naturalis, de DEI veracitate, sequi debebit alius, qui assentiatur eidem Divine veracitati, propter ipsummet, Deus dixit, idque ob rationes supra in probatione Conclusionis allatas.

Punctum Difficultatis 3.

Fundamenta in Oppositum.

OBJICIT Primò Lugo. Posita hac doctrina, manere adhuc rationem dubitandi suprapositam in suo robore, siquidem Credere te dicis Trinitatem, quia DEUS dixit: rogo an scias evidenter id DEUM dixisse? an verò ex fide, non quidem evidenter ut pater. Ergò solum ex fide. Ergò assensus ille, nititur alteri jam revelationi; cum enim ex terminis non con-

(c)

fiter

stet Deum revelasse, debet assensus ille esse mediat, da ergo medium cui innitatur.

RESPONDETUR. Me nonnisi ex fide scire, Deum dixisse, se esse Trinum. Sed Nego, id me scire per aliam revelationem. Illa propositio: Ex terminis non constat Deum revelasse, distinguitur. Ex terminis non constat, accipiendo, constare ex terminis, pro eodem ac evidenter, non constat id Deum revelasse Conc: propositionem. Non constat ex terminis, id est, non est propositio, quæ sibi ipsi sit principium assentiendi, subdistinguo. Non est principium sibi ipsi assentiendi, extra circumstantias, morum credibilitatis actu, ita tamen, ut sit principium intra has circumstantias assentiendi, extra quas, est nonnisi potentia principium, sibi sibi assentiendi. Ad quod explicandum assumantur dicta in Præmissis, quod scilicet non sit necessarium ad rationem ultimi resolutorii, ut sit quid evidens, nec illi officere, quod non extemplo illi præbeatur assensus, modo positis prærequisitis, habeat vim immediatè movendi assensus. Quod autem dixi constare ex fide, ipsum, quod Deus dixerit hoc, ideo est: quia cum fides sit per modum potentiae, erit principium eliciendi, non solum assensus, quali circa Conclusiones, hoc est Mysteria; sed etiam circa Principia, quale est illud: *Deus dixit*, quod in naturalibus non datur. Nam habitus naturales, non sunt per modum potentiarum.

INSTAT Primò Lugo. Si habitus fidei, haberet vim eliciendi hunc assensus: DEUS hoc dixit, sine aliquo medio, licet objectum sit de se obscurum; cur non poterit idem habitus elicere assensus immediatum circa rem revelatam, quo diceret, Deus est unus, non utendo auctoritate Dei ad assentiendum?

RESPONDETUR. Disparitatem esse ex dictis; quia veritas sola intrinseca, non potest esse specificativum fidei, & si assentiretur actus fidei, sine *Ly DEUS dixit*, esset sine suo specificativo, quod est, *Deus dixit*, sine quo non esset, si ipsi *dixit* assentiretur *propter dixit*.

INSTAT Secundò. Quod DEUS revelet hoc Mysterium non constat ex terminis. Unde ergo intellectus colligit hanc veritatem? dicis assentiri te dictioni: Ergo ipsa dictio manifestat seipsam immediatè, cum sua Veritate constante ex terminis, sicut principium per se notum aliud quodpiam: hoc autem non potest dici: quia non videtur magis nobis constare ex terminis hæc propositio: DEUS dixit se esse Trinum, quam hæc alia: DEUS est Trinus.

RESPONSUM supra. Propositionem illam, *Deus dixit*, non constare ex terminis, hoc est, non esse per se notam & evidentem, constare tamen ex terminis, hoc est, habere in se vim sufficientem, inclusam, ad principiandum immediatè assensus. Est

autem dictio DEI, similis quidem in hoc alii principiis, quod sicut alia, ita & illa, se ipsi principiari possit assensus: est autem dissimilis, quia non principiat evidentem, cum caret perspicuitate in terminis suis. Quid autem habeat plus illa propositio; *Deus dixit se Trinum*, præ hac: *Deus est Trinus*; colligitur ex dictis: habet enim illa prior rationem, sub qua movere se potest intellectus, nempe certitudinem extrinsecam, posterior autem non habet rationem, sub qua se movere possit intellectus, non enim haberet certitudinem intrinsecam de Trinitatis Mysterio v. g. quia hæc sit in connexionem prædicatum, in notitia causarum & effectuum, quæ vel non dantur in omnibus Mysteriis, vel ad connexionem aliquorum penetrandam, pervadere non possumus nisi Visione Beata &c. Et quomodo vis daretur certitudo intrinseca, non esset formalisativa fidei ex dictis: non ergo posset assumi pro motivo assentiendi. Nec etiam posset assumi certitudo extrinseca, quia hanc excludit suppositio argumenti, consequenter non haberetur ratio, quâ moveretur tunc intellectus ad assentiendum.

In nostris itaque principiis, talis est processus in assentiendo ultimo resolutorio. DEUS dixit se esse Trinum v. g. non exhibeo tunc extemplo assensus, & inextemplo unde constare mihi possit hoc DEUM dixisse, pro quo investigando, deserui mihi motiva credibilitatis, propositio Ecclesiæ, formaturque iudicium prudentiale de existentia illius dictionis Divinæ. Quia vero video, quod non posset hoc proponere Ecclesiæ, nec possent id stabilire motiva credibilitatis, nisi id defacto dixisset Deus, video quod illa propositio Ecclesiæ, inferretur supra illud idem *Deus dixit* cui extemplo non exhibui assensus; hinc fit, ut illud: *Dixit*, proponatur, tanquam ultimum resolutorium. Et sicut si aliquis procedens a fonte, & sequens torrentem, rediret postea ad fontem, terminus illius motus, esset ipsa fontis, à quo exierat: sic etiam cum motiva illa & propositio, quod id DEUS dixerit, redeant ad ipsum *dixit*: fit ut quies intellectus, sit in illo ipso *dixit*. Tuncque præinformata voluntas tali propositione objecti, imperat intellectui assensus firmissimum, quo imperioposito, cum primum intellectus elevatus, producit suum actum.

INSTAT Tertiò Lugo. Repugnat hæc omnia motiva credibilitatis solum movere immediatè voluntatem ad imperandum assensus, & non respici ab ipso intellectu, tanquam rationes sui assensus, quia in ordine ad assensus intellectum, conditio assensus, & motiva, indistinguntur. Et sicut repugnat ut postquam voluntas amavit medicinam, tanquam utilem ad sanandam,

tem, imperet actum amoris circa medicinam, propter se ipsam, sic & repugnet ut imperet actum assensus propter ipsummet *Deus dixit* cui ipsi: *Deus dixit*, præbitus est assensus, propter motiva credibilitatis.

RESPONDETUR. Duplicem assensum posse cogitari in illo processu, circa objectum fidei. *Primus* assensus est, quo iudicat intellectus, imperare posse voluntatem assensum fidei, & in isto assensu, illa motiva respicit intellectus, tanquam rationem sui assensus. *Secundus est assensus* ipsi objecto fidei, respectu cuius non habent rationem ultimi resolutorii, quia ut explicui, tandem illa ipsa motiva, redeunt ad illud principium *Deus dixit*. Paritas allata multum probat: quia probaret, quod Inductio facere non possit, ut assentiamur principio: Quodlibet totum, est majus sua parte; cum etiam amor medicinae propter sanitatem, non possit facere ut ametur medicina propter seipsam. Consequentia etiam non tenet: quia amabilitas medicinae propter sanitatem, non ostendit mihi connexionem medicinae, cum amabilitate propter se. Jam autem antecedens illa cognitio motivorum credibilitatis, ostendit mihi connexionem, non quidem motivi certitudinis intrinsecam, sed motivi certitudinis extrinsecam; cum eo, quod *Deus dixit se esse Trinum*. Et cum in nullo casu medicina quæ talis, sit amabilis propter se, quiescere non potest circa illius amabilitatem intellectus & voluntas. Jam autem ipsum, *Deus dixit*, habet vim movendi per se ipsum. Quod colligitur: Tum quia id universaliter dictioni competit. Tum quia illa motiva credibilitatis ita se habent ex dictis, sicut Inductio respectu principii lumine naturæ noti, infundando se illi ipsi principio, ita & motiva credibilitatis infundantur ipsi, *Deus dixit*. Tum quia dicat DEUS immediate, Dico me esse Trinum, & in talibus circumstantiis, in quibus non possit prudenter dubitari DEUM dixisse, eo casu, imperaretur assensus fidei, propter ipsummet DEUS dixit. Quod ipsum ostendit, inesse illi *Deus dixit*, vim propter se ipsum, principiandi assensus. Et certe vel ex objecto in hac propositione: DEUS dixit se esse Trinum, est connexio Trinitatis cum dictione; qualis est inrer objectum & dictionem veram, vel non est ex objecto hæc connexio; si est ex objecto hæc connexio, seipsa principiare potest assensum, nihil enim desideratur; si autem non est illa connexio ex objecto, ergo defacto DEUS, non dixit se esse Trinum; quod est error.

Ut argumento amplius satisfiat; discurrendum est de illa propositione: An in ordine ad assensum intellectualem, distinguantur conditio assensus, & motivum assensus, tradendaque regula dignoscendæ hujus conditionis à motivo. Quod hæc distinguantur. Ratio est: quia te-

net paritas in aliis agendi generibus. Conditio & ratio formalis agendi distinguuntur. Ergo & in linea agendi assensivæ. Deinde etiam per Lug. præcisè apprehensio connexionis terminorum, non est motivum assentiendi, sed sola conditio; non enim apprehensio bonitatis Divinæ super omnia, formaliter movet amorem; sed ipsa bonitas. Ergo etiam & in assensibus intellectualibus idem dici poterit. *Sed quam regulam discernendi motivum assensus intellectualis, à conditione assentiendi?*

INCIPIENDO à notioribus, videmus quod applicatio ignis ad stupam, sit manifesta conditio, cum qua manifesta conditio, habentia proportionem in linea assentiendi intellectualiter, erunt etiam conditiones. Porro si comparentur motiva credibilitatis inducentia ad assensum, quod hoc *Deus dixit*, certè non dictio Dei applicat illa motiva, sed motiva dictionem; cum etiam ad hunc finem ordinentur ab Auctore Deo, ut mereantur prudentem assensum, quod hoc *Deus dixit*; bene ergo ex hac proportionem colligam, quod motiva credibilitatis, habeant se nonnisi per modum conditionis. Rursus manifesta est conditio ad assensum principii lumine naturæ noti, vel probabilibus, ipsamet Inductio; quam ipsam conditionem, vel ex hoc ipso, ex dictis supra infero: quia tandem resolvitur, & infundatur ipsimet illi principio. Cum hac Inductione, habent proportionem motiva credibilitatis; infundanturque illi ipsi *Deus dixit*; hinc fit ut ob proportionem cum merè applicante, hoc est, Inductione, debeant & motiva credibilitatis, dici nonnisi conditio & applicativum. Hoc ipsum resolvitur in universale principium. Motivum assensus, est causa assensus, cum ipsum motivum numeretur inter causas formales; Causa assensus, debet definiri accommodatè ad definitionem causæ ut sic. Causa autem ut sic definitur. Quod sit principium vi sua determinans ad existentiam &c. Videndum ergo est, an motiva credibilitatis vi sua determinent ad existentiam hujus effectus, qui est, *Credo*. Quod vi sua non determinent, suadet imprimis illud principium. Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec tribuendæ rationes causandi, si res possit esse contenta, nonnisi conditionis formalitate, nulla autem necessitas attollendi motiva credibilitatis, usque ad rationem causæ fidei. Rursus nullus effectus superat suæ causæ vires, & tamen assensus certissimus, superat vires motivorum, quæ nonnisi assensum prudentialem fundant, illisque positis recurrendum semper est, ad dictionem divinam. Quia tamen sunt hæc motiva necessaria, debent prærequiri, si non per modum ut dictum causæ, saltem per modum conditionis. Denique motiva credibilitatis non habent vim determinandi ad assensum

fidei; quia ponatur tota motivorum credibilitas, & non ponatur revelatio, non poterit esse assensus fidei. Pone autem nulla dari motiva credibilitatis, sed solam Divinam attestationem, quam tamen constet esse factam, fieret tunc assensus fidei: Ergo apparet vi sua revelationem determinare ad assensum fidei, non autem motiva credibilitatis.

Ex quo *Colligitur* illa in assensu intellectuali habere se per modum conditionis, quæ & accedunt ad manifestè conditiones, & simul vi sua non determinant, ad existentiam actûs intellectus, licet ad eundem requirantur.

Objicitur Secundò. Hæc explicatio nostra committit circulum inexplicabilem. Si enim quæram; Cur credas Deum esse veracem? respondes, quia dixit se esse veracem. Si quæram; Cur credas quia dixit se esse veracem? respondes, per ultimum resolutorium; quia dixit se esse veracem.

RESPONDETUR. Retorquendo in primis Argumentum, quod probat in assensu omnium principiorum, ad quem ducit Inductio committit circulum vitiosum: semper enim à principio ad Inductionem ab Inductione ad principium regredimur. Directè autem negatur committi circulum vitiosum. Circulus vitiosus est illicitus, regressus demonstrativus per omnes datur. Ut autem committatur circulus vitiosus, sitque negatio regressûs demonstrativi, id non ex eo colligi debet, quia id conceditur, quod primò negabatur, quod nesciebatur. Si enim hoc esset illicitum, non daretur locus correctioni, aut novis demonstrationibus, hæc ipso enim si quid de novò demonstratur, debet concedi quod negabatur, vel nesciebatur: tollereturque ipse regressus demonstrativus, quia etiam in illo quod primum negabatur: probarique debuit; tandem ad idem revertendo, concedi debet. Quod ipsum in hoc resolvitur. Quia negatio semel facta circa aliquod objectum, non aufert eidem vim movendi per se assensum, si hanc vim in se habeat objectum. Nec item colligi debet circulus vitiosus, quia ad invicem unum est ratio assentiendi alteri: quia aliàs non posset definiri Pater per connotationem filii, & filius per connotationem Patris, correlativaque non possent esse sibi ratio ad invicem assentiendi; Et tamen correlativa quæ talia non possunt nosci; nisi ex ad invicem; & sub qua formalitate noscuntur non, ex ad invicem, non noscuntur correlativa. Consequenter nec ex eo colligi debet præcisè esse circulum vitiosum: quia credo veritatem primam esse: quia dixit se esse, & dixisse illam se esse: quia dixit.

Cæterum ne committatur circulus vitiosus, debet esse processus à notiori ad ignotius. Quod ipsum interdum notum sumitur pro evidenti, & huic in præsentem non est locus, quia cum ipse habitus non sit evidens; nec assensus illius

principiaque, debent supponi evidenti. Deinde notum supponitur pro concessio vel aliunde persuaso, vel in alio genere importato. Si quis ex taliter noto redeat ad id, quod erat sibi ignotius; adeoque in ante negatum; non committit circulum vitiosum, sed erit regressus, ut ita dicam demonstrativus, procedens ex suppositione assensûs, vel aliunde habitæ notificationis, vel motivi in alio genere: hocque probant instantiæ, ut cum Inductione notificantur Principia, quæ tamen dicuntur habere vim in se assensûs principiandi. Ratio insuper est: quod tunc non committatur circulus vitiosus; quia tota intentio intellectûs est, ut possit formare affirmationes, vel negationes rationabiles, quæ nunquam sunt rationabiles, quando idem per idem probatur vel negatur. Si tamen idem alio modo innotescat, modali etiam, inducente vel suppositione consensus, vel aliunde facta notificationis: certè jam tunc rationabiliter movebit se intellectus, nec in idem per idem. Quia ergo etiam in præsentem huic Ly: id Deum dixit, ut credatur, fit notificatio, vel ex suppositione consensus, vel per motiva credibilitatis, vel per actus imperatos Metaphysicæ vel Theologiæ naturalis, convincentis Deum esse veritatem primam, fit ut eandem veritatem in dicendo credendo, non committatur circulus vitiosus. Universaliterque, si posita interrogatione respondeatur per id, quod de se aliam notificationem immediatam habet, quantumvis redeatur ad id, quod ante negabatur, vel unde orta est interrogatio, non erit circulus vitiosus: quia circulus est reditio per idem. Si autem respondeatur, per id quod de se aliam notificationem habet, non erit reditio per idem. Quia autem in responsione: quare credas? respondes, quia dixit veritas prima in dicendo. Si rursus quæras, quare dixerit? non quæris iam de assensu fidei, ideo respondendo per motiva credibilitatis, non respondeo tibi per eandem rationem, sed per motiva inducentia ad judicandum quod dixerit; adeoque non per idem respondeo, sed per aliud; & sic non redeundo per idem, non facio etiam circulum vitiosum, sed regressum quodammodo demonstrativum: quodammodo inquam: quia fides nihil demonstrat; sed eo sensu, quod redeat intellectus ad veritatem negatam antè, & modo, (aliunde positus prærequisitis) merentem, propter se ipsam assensum.

INSTAT Lugo. Licet non esset revelatum in particulari Deum esse primam veritatem, adhuc possent revelari alia Mysteria, & credi per fidem; imò ad assentiendum quod DEUS sit prima veritas, parum juvant miracula in confirmationem fidei patrata: hæc enim solum restantur revelare DEUM Mysteria fidei, non verò esse veracem. Finge enim Deum esse mendacem, adhuc posset operari miracula,

racula, ad captandam sibi fidem apud homines; quod ergo Deus sit veritas prima, habetur independentem a revelatione, sicut aliunde cognoscitur DEUM esse justum, bonum, &c. quare qui de hac veritate dulciter, non posset ex v^o miraculorum ad fidem allici, sed deberet prius per rationes, vel alia via, de suo errore convinci.

RESPONDETUR. Impossibile esse aliquid credi propter veritatem primam dicentem, & non revelari in actu signato, veritatem primam: quia & crederetur tunc propter veritatem primam dicentem, ut supponitur: & non crederetur, quia credi propter illam, est credi illam & omnia, quæ illa in se formalissimè & explicitè importat, ut in omnibus aliis rationibus motivis evenit. Jam autem in Credere propter veritatem primam, formalissimè & explicitè importatur veritas prima, credi ergo & illa debet semper, cum creditur propter veritatem primam. Concedo miracula non probare, quod DEUS sit verax, sed solam connexionem inter veritatem primam & dictionem quæ dicit, se esse veritatem primam. Concedo aliunde debere rejici eum, qui putat DEUM esse mendacem, & non per fidem: fides enim non est habitus probativus, sed assertivus. Sed posito quod aliunde id probatum sit, quando procedendum erit ad ipsum actum fidei de DEI veritate; nego propter aliud motivum id credi posse, quam propter ipsum *Ly Deus dixit*. Quæ doctrina supponit hanc Majorem. Non repugnat habitui, ut præsupponat in aliquibus circumstantiis, tanquam prærequisita actus aliorum habituum; hocque ostendit Inductio, & probatur ratio, quia cum non sit natura uniuscujusque habitus, omnes actus exercere, nec sibi unus ad omnia sufficiat, bene exigere potest actus aliorum habituum, licet illi actus non sint motiva propria illius habitus, præsuppositivi. Et ita Logica est habitus præsuppositivus, & prærequisitus demonstrationum Metaphysicarum, motivorumque illius, & tamen hæc motiva, non sunt motiva Logica. Cum ergo etiam habitus fidei, non sit sibi sufficiens quoad omnia, maximè quoad probationes, est enim habitus, non nisi, ut dixi, assertivus, fit ut præsupponat actus aliorum habituum & motiva: licet illis ipsis non moveatur.

Punctum Difficultatis 4.

Quid de reliquis objectionibus.

Obicit Tertiò. Divina dictio non potest habere rationem primi motivi Ergo in illam non resolvitur fides. Antecedens probatur: quia Divina dictio, non potest sufficienter, & certò, movere ad assensum: nisi intelligatur per prius saltem originis, involvere rationem veritatis primæ, tanquam suæ compartis mo-

ventis ad assensum: Sicut enim quæcunque dictio vel locutio alicujus, non potest habere vim movendi ad assensum certum, nisi constet per prius de veracitate dicentis, ita & de dictione Dei, idem sentiendum.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum non habere exactam phrasin: quia nomine prioritatis originis intelligitur: quia hoc ab hoc procredit seu producitur physice, & tamen sine ulla prioritate dependentiæ. Jam autem veritas prima, non producit veritatem primam in dicendo. Sed quidquid sit de phrasi, dici potest, quod per prius ratione, præsupponatur DEUS esse veritas prima, quam veritas in dicendo: ita tamen, ut pro illo priori, nondum possit intelligi fidei Actus: quia hic non potest esse sine proportionato motivo, quod est, non nisi DEI dictio: licet pro posteriori signo, sit actus fidei, realiterque accipiendo illum assensum est actus fidei: quia indivisibili actu credo veritatem primam, cum credo propter veritatem primam: *Quia dixit*.

INSTAT Primò Koninck Disp. 9. Dub. 4. Videtur esse stultum, credere esse aliquem Veracem: quia ipse dicit: nec item credi potest, Deum existere: quia Deus dixit, nam idem ridiculum videtur credere aliquem existere: quia ipse hoc de se testatur.

RESPONDETUR. Etiam in humanis, si quis non assensu certo vel probabili moraliter, sed assensu fidei debet credere aliquem esse veracem, debet id credere, quia id dixit: quod si fiat sine motivis prudentialibus, stultum erit; secus si fiat cum iisdem. Imò defacto ita contingit, dum assentior huic Verbo, *Crede, non te fallo*, qui assensus est propter, quia dicitur: & si fallat dicens, dicimur decepti verbis illius. Ergo apparet dictionem illius fuisse rationem motivam assentiendi. Quia autem in assensu supernaturali fidei, cum debitis prærequisitis, præbetur hic assensus, quod DEUS sit Verax, quia dicit se veracem; fit ut ille assensus non sit stultus.

INSTATIS Secundò. Resolutorium fidei quod non nisi unum assignavimus, debet esse tale, ut in singulis actibus fidei reperiat; Sed quod Deus dixerit non potest singulis actibus fidei convenire. Quod ipsum probatur: quia non potest competere actui primo fidei, qui est credere Deum esse. Quod ipsum probatur, prius est assentiri ipsi rationi assentiendi quam objecto cui assentior, propter illam rationem assentiendi: sed non possum assentiri prius rationi illi assentiendi, quam assentiar ipsi objecto. Ergo illa ratio assentiendi, quia Deus dixit, non est ratio assentiendi illi objecto, Deus est. Minor probatur: quia non possum assentiri prius quod Deus dixerit, quam assentiar quod sit, prius est enim esse, quam dicere.

(c) 3

Porro